



2b. 15



53.6  
63

RECTOR  
ACADEMIÆ FRANCO-  
FURTANÆ  
CHRISTOPHORUS  
PELARGUS,  
SS. Theologiæ Doctor & Professor P. Ge-  
neralis totius Marchiæ Superattendens, Ecclesiæ Pastor,  
Ordinis sacri Senior, & p. t. Decanus

*Sollemnem panegyrim  
in quâ*

Sereniss. Electoris Brandenburgici indultu  
Amplissimi JurisC. Collegij decreto  
Omnium totius Academiæ ordinum applausu  
*Vir Excellentiss. Consultiss. & Clariss.*

DN. ÆGIDIUS BLOTIUS  
V. J. Doctor & Professor P.  
Facultatis Juridicæ DECANUS Spectatissimus  
*CL., ingenio, doctrinâ, virtute & humani-  
tate prestanti Viro*

DN. GOTOFREDO BAUDISIO  
Lignicensi SIL.  
*Summos in utroq, jure honores  
a. d. XIV. Kal. Sept.  
Sollemni ritu conferet  
Omnibus literatis civibus indicit*

---

*Anno epoches Christianæ*  
M. DC. XXIV  
Typis JOHANN. EICHORNS.



**S**I quanta prisco seculo, tanta hodieq; in Germanis  
esset morum vel feritas, vel simplicitas vitæq; in-  
tegritas: aliquantò ex legum multitudine levig-  
nos laboraturos, nec tãto in pretio juris fore peri-  
tos caussarumq; patronos multis ijsq; magni no-  
minis non sine ratione videtur viris. Majores  
enim verò nostri & primi, ut sic dicam, Aborigines, ut fide &  
armis ante omnes mortales erant, ita aut moribus bonis,  
qui, teste Tacito, plus apud illos valebant, quàm alibi bonæ  
leges, impensè studebant: aut manuum vi justum finientes & vio-  
lentiã adhibita metientes, leges non aliter, atq; aranearum telas  
aquila, perrumpebant: & factis magni, ad verborum lin-  
guæq; certamina, quod de viris militiæ natis apud Livium Q.  
Fabius adfirmat, rudes, Romani juris subtilitates ignorabant,  
immò odio habebant. Cui rei vel illud argumento esse potest,  
quod fuso à se Quinctilij Vari exercitu in caussarum patronos  
ceteris hostibus crudelius sevierint: & alijs oculos, alijs manus  
amputarint: unius etiam os suerint, recisã prius linguã, quam  
in manu habens unus tandem, inquit, vipera sibilare desiste.  
Hodie verò, quia inter nos mores mali, ut cum decimã Musã  
loquar,

Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè;  
& litium nullus est finis; nec in armis jus ponere, aut ad arma  
venire, nisi si jus denegetur aut proteletur, cuiquam licet: inde  
fit, ut multis opus sit legibus: quæ aut corruptissimorum in republ.  
morum argumenta sunt, & ut vctg; habet apud Macrobiũ ver-  
bum, malis ex moribus procreantur; ita eorundem sunt everricu-  
la, & litium secures, & vis omnis depultrices. Harum enim,  
auctoritate ut Tullius olim scripsit, docemur dominas  
habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra  
tueri, ab alienis aures, oculos, manus abstinere. Quod  
q; quem multitudo legum ita offendit, ut accusandam  
putet;

putet : is velim cogitet, eam non studio legislatorum, sed multitudini actionum accepto ferendam esse: nec, quia plures comperiantur in civitate leges, ob id multas esse credat civitatis animas. Nam inter magistratum multifarias constitutiones una nihilò secius publica lex est, communis nempe rectè vivendi regula, quà uno utiq; calle ad publicam provehimur felicitatem. Jam si propter uberrimam morum improbiorum & litium segetem legibus ad regendos homines opus est multis & varijs: non potest etiam non opus esse legum & juris non dico tortoribus, quales dixoppa Poi quidam & caussarum consarcinatores, qui, quos jus excuriat, ipsi excoriant: sed Doctoribus, qui leges interpretari, & ad varias facti species sive formas, quarum multas edere natura novas quotidie deproperat, dextrè applicare possint, dubijsq; ut ille ait,

*Litibus addere finem.*

*Norint, & mersum lateris educere verum.*

Erga quos, tanquam aptos urbi ac foro praesides, & ad reddenda jura praetores, aliquis puto etiam majorum nostrorum favor fuit: tametsi mercenariam advocacionem & caninam rabularum forensium rabiem cane pejus & angue oderant. Nam & hoc ipso, in quo vivimus, aeo adversus hoc hominum genus multi ita animati sunt: & non ita pridem Dania Rex Fridericus III. cum erga eos, qui sibi à consilijs erant, Juris consultos mirum in modum benignus esset, Practicos ne in conspectu quidem suo ferre potuit. Ludovicus vero XII. Galliarum Rex, et si patronos disertos in liliatis subsellijs non illibenter audiebat, eos tamen sutoris officium impudenter sibi vendicare aiebat: innuens nimirum, quod sutoris est proprium, dentibus alutam producere, hoc illos in dilatandis prudentum responsis, & Caesarum legatus facere: ideoq; valde laudabat aruspicius ejus responsam, qui rogatus à quodam, quid oculis maxime prodesset, responderat, si Pragmaticum rarissime videat. Sed ex unius atq; alterius Caussi-

dici ingenio omnes caussarum patroni non judicandi: & ab hujusmodi fori tintinnabulis, quæ, ut Seneca in Hercule furcente ut ar verbis, clamosi rabiosa fori jurgia vendentes, improbi iras & verba locant, veri Juris-consulti sunt discriminandi: quorum laus illa præclara, quod publici dicantur patroni, civitatis oracula, justiciæ sacerdotes; divinæ mentis ac voluntatis interpretes. Hujus autem laudis, ut sic dicam, molem nec mereri nec tueri & sustinere possunt: nisi qui leges & jura probe didicerint, diu cogitarint, & sursum ac deorsum, ut Plato inquit, volutarint, & quasi evolutas intus contemplati sint: quiq; non amœniori solum & speculativa Juris-prudentiæ, cujus præter antiquitatis studium nullus sit usus, operam impenderint: sed cum theoriâ praxin, veram illam legum canonumq; enucleatricem conjunxerint. Cujusmodi viris consultis, ut & juri Romanorû civili, quod ob æquitatem ab omnibus ferè populis pro jure quodam gentium usurpari magnam partem cepit, suus hodieq; apud nos meritò constat bonus: & qui ad illorum quidem similitudinem multis laboribus & vigilijs sese componunt, hujus autem volumina nocturnâ diurnaq; manu versant, legumq; non tam verba tenet, quàm vim & potestatem; illis dignitatum & honorum præmia meritò tribuuntur: cum æquum sit, teste Cassiodoro, ut unicuiq; proficiat labor suus: & sicut expendendo cognoscit incommoda, ita rebus perfectis consequatur augmenta. Nutriunt enim, ut idem iterum scripsit, præmiorum exempla virtutes: nec quisq; est, qui non ad morum summa nitatur adscendere, quando immuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. Præclare eapropter Amplissimus Juris-Consultorum apud nos Ordo & laudabiliter fecit: qui CL. virtute & doctrinâ præstantissimo viro, Dn. GOTOFREDO BAUDISIO Lignicensi Sil. consentientibus suffragiis insignia gloria & honorû præmia, quæ in juris studio solent & possunt dari maxima, decreverit.

decreverit. Dignum enim illis esse, immò jam diu fuisse in utroq;  
examine privato, satis rigido illo & accurato ipsi; in disputatio-  
ne publicà omnes, quotquot interfuere Academia nostra cives  
deprehendere, ex resolutionibus difficiliorum in jure tam Ca-  
nonico quam civili textuū. & depulsione gravissimorū argumen-  
torum, quæ tanquam tela à doctissimis & acutissimis viris in-  
theses ejus jaciebantur. Nec mirū est præclarè eum ubiq; stetisse:  
cum nec ingressus prius fuerit in justitia sacrarium, quam ex  
Philosophorum exedrâ & quidem probè excultus exisset: nec le-  
ges annarias violavit, sed annos studio juris ab Imperatore de-  
finitos, non modò non contraxerit, sed etiam longius extenderit:  
& domestica habuerit exempla, quæ non potuerunt ipsum ad vir-  
tutem non excitare & inflammare. Quis enim, nisi hospes in  
vicinis oris aut literis, non novit aut non estimavit Dn. Leon-  
hardum Krenshaim Jphodium Francum, Ducat⁹ Lignicensis  
quondam Superattendentem, Candidati nostri Avum mater-  
num? cujus sive Chronologicas observaciones, quarum libros  
quatuor gratæ posteritati non invidit; sive studium puræ & Or-  
thodoxæ religionis, quam ad extremū usq; balitum confessus &  
professus est, spectes, virum esse dixeris doctum juxtâ & pium,  
Theologum & Chronologum insignem. Jam multi inter nos  
sunt, quibus vel de facie vel de famâ notus fuit Candidati nostri  
Parens, Dn. Andreas Baudisius, ex metropoli Silesiorum Vra-  
tislaviâ oriundo, Gener Krentzemij, ejusq; in dignitate Successor,  
Consistorij Ecclesiastici primarius Assessor, & templi Petro P.  
Pastor, vir divinarum pariter & humanarum rerum peritiss.  
græcè & Latine inter paucos doctus, & tam prosâ quàm numeris  
adstricta oratione promptus. Vivit adhuc, vivatq;, tametsi fatò  
functus, in multorum Silesiorum animis Dn. Laurentius Bau-  
disius, Candidati Patruus magnus, Utriusq; juris Doctor, &  
Illust. Olsnensium in SIL Ducis CAROLI quondam Cancellarius:  
cujus erga Principem suum fidei & obsequij, erga rempublicam

meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio. Quid de Leonhardo Krenshheim, Philosophia & Medicina Doctore & Regina Hradec. in Bohemiâ Poliatro, τὸ ἐν ἀγίοις; quid de Henrico Krenshheim, Medico Leittmericensi, avunculis Candidati nostri dicam? certè, quam diu aratrum non patientur illa, in quibus vixere loca, nunquam de præclaris illorum virtutibus silebunt. Hac igitur ex familiâ natus cum esset Dn. Candidatus, & domi statim à Parentibus bene educatus, in patriâ primum Scholâ à Dn. M. Nicolao Ludovico, Sene Venerando, ejusq; tum Coauditore, post Successore Dn. M. Barthol. Kernio, dexterrimis ingeniorum formatoribus; deinde in Guaraviensi à Dn. M. Joanne Brachmanno, Oratore egregio & scriptis claro, ita institutus est: ut fundamentis literarum et eloquentia præclare jactis anno abhinc XII, Christi M. DC. XII. idoneus judicatus fuerit qui majoris ingenij cultus capeffendi gratiâ Wittebergam mitteretur. Quò cum venisset, Cll. primum viris, Dn. Jacobo Martini, Dn. Baldassari Meisnero, Dn. Ambrosio Rhodio, qui tum Philosophiam profitebantur; post juris Antecessoribus, & inter illos maxime Dn. Valentino Guilh. Forstero, Dn. Gotofredo Reutero, & Dn. Joanni Leubero sese in studio juris excolendum penitus dedit. Biennio ibi exacto non tam sponte suâ, quam pestis metu illinc discedens jussu Parentis Lipsiam ivit: ubi intra menses aliquot & in literis & in elegantiorib; moribus quotidie profecit: præceptorib; usus Dn. D. Leopoldo Hackelmanno, Dn. D. Francisco Romano, & Dn. D. Friderico Scipione, qui tum temporis arbores duas, non illas quidem in insignibus Hesperidû intra Mauritaniam, nec in pensilib; Semiramidis apud Babyloniam hortis, sed in sacrorum canonum & legum civilium lati fundis satas et natas in fertile ingeniorum studiosæ juventutis solum transferre satagebat. Lipsiâ Jenam ibat, ibiq; biennium assiduam Antecessorib; ejus loci celeberrimis operam dabat, Fomanno; Arumæo,



rumæo, Svevio, Rimerò, Gryphiandro, *Καυσιότις*, αϊγς.  
Hic vero dum in cursu studiorum est, mors inopina Parentis eum  
in patriam nihil tale metuentem revocat. In quam cum pedem  
vix intulisset, ecce Illustriss. Lygio-Brigensum in SIL. Dux. ac  
Dominus, Dn. JOANNES-CHRISTIANUS, apud quem sa-  
cra erat paternarum avitarumq; virtutum memoria, auctoritate  
suâ perficit, ut, perinde atq; olim Achilli Phœnix, ita Dn. Baudi-  
sius Christophoro Ernesto à Pritvvitz, Hereditario in La-  
scowitz & Milatschitz, adolescenti nobilissimo adjungatur. Nec  
diu post cum illo Argentinam se confert, & ex sacris D. Meieri,  
Clutenij, Beutheri & Bitschij pectoribus abditos doctrina le-  
galis fontes hianti pectore bibit: Meieri etiam inter Collegas  
privatas esse incipit: atq; ita se gerit, ut & suo loco disputandi par-  
tes sedulo obeat, & Presidis amorem benevolentiamq; sibi conci-  
liet: cujus rei quasi obsidem habet carmen, quo & Præses & Dn.  
Clutenius disputationem ejus ornata[m] voluere. Lætor, inquit  
Hæctor ille Navianus, laudari me à laudato viro. Et Bau-  
disius letabitur talibus se probari viris, qui inter duces & antesi-  
gnanos ad Juris-prudentiam poni mereantur. Biennio tandem  
& quod excurrit Argentorati confecto, cum domi reditus ejus in  
dies expectaretur, in itinere ceteras quoq; Germaniæ Academi-  
as, Basileensem, Friburgensem, Molsheimensem, cui na-  
scenti interfuit, Heidelbergensem, Erfurdianam saluta-  
vit: in iisq; omnibus cum Cl. viris notitiam junxit, amicitiam  
inijt: cujus quidem rei ipsum pœnitere non potest. Nam, teste  
magno illo prudentiæ Romane Sole Seneca, occursum ipse sapi-  
entium juvat: & est aliquid, quod ex magno viro vel ta-  
cente proficias. Reversus domum Candidatus noster consilio  
Sororij sui, Dn. Matthæi Pezoldi, viri & JC. Clarissimi in-  
forum studiis jam maturis intulit: & causas aliquandiu in illu-  
stri Suidnicensis ac Javoransis Ducatus Dicasterio ita egit, ut,  
quod ex bone fidei hominibus comperimus, doctrinam ac modes-  
tiam

destiam suam Magnifico & Generoso viro Dn. CASPARI  
à W ARNSDORFF, in Gusmandorff &c. III. Imp. Rom.  
Consiliario, & utriusq; Ducatus modo dicti Praefecto Augustali  
meritissimo, abunde probavit: iisdemq; artibus singularem nobili-  
um aliorumq; favorem emeritus fuerit. Ac ne inter imperitos  
& abulas censeretur, ac numerosos vultorios, qui cruda ple-  
rumq; in forum studia intrudere amant: amicorum suasu publi-  
cum eruditionis legalis, intra duodecim circiter annos parte, te-  
stimonium ab Academia nostra petendum ratus, paucos ante di-  
es ad nos excurrit: nomen suum apud Ampliss. Juris Consulto-  
rum Ordinem professus est: qui post exploratos & approbatos  
ejus in studio juris progressus & mores laudabiles, summos ipsi  
in jure honores decrevit. Quos cum die ab hinc quinto, qui men-  
sis hujus est XXI. in templo cathedrali, more majorum, solle-  
mniter ipsi matutinis horis collaturus sit Excellentissimus &  
Consultiss. vir, Dn. Aegidius Blotius II. I. Doctor & Anteces-  
sor, Ordinisq; p. t. Decanus, Dn. Candidati honorum ita cupi-  
dus, ut valetudinis panem suae prodigus videatur: amanter ora-  
mus omnes & singulos reipubl. nostrae cives, ut die locoq; dictis  
frequentes conveniant: & suam Ordini Ampliss. observantia-  
am, Promotori amorem, Candidato benevolentiam declara-  
tumeant: simulq; DEO supplicent, ut novi Doctoris honores  
fortunet, labores secundet, & ad patriae incrementum dirigat:  
excitetq; & conservet Magistratus, qui tueantur, Doctores  
qui legant & regant, Adolescentes qui concupiscant & di-  
scant leges: quae fundamentum sunt libertatis, propugnaculum  
aequitatis, fulcrum humanae societatis. P. P. a. d. XXI. Kal.  
Septembris.

M. C. N.

*Ja 666*

ULB Halle 3  
002 177 021




*5b-700*

*V017*

*MC*







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

CTOR  
Æ FRANCO-  
TANÆ  
PHORUS  
RGUS,  
or & Professor P. Ge-  
erattendens, Ecclesiæ Pastor,  
or, & p. t. Decanus  
*panegyric*  
*quâ*  
randenburgici indultu  
C. Collegij decreto  
emia ordinum applausu  
*onsultiss. & Clariss.*  
US BLOTIUS  
& Professor P.  
CANUS Spectatissimus  
*â, virtute & humani-*  
*tanti Viro*  
EDO BAUDISIO  
nsi SIL.  
*roq, jure honores*  
*Kal. Sept.*  
tu conferet  
*is civibus indicit*  
*s Christiana*  
XXIV  
N. EICHORNS.

55.6  
63